

IVVENI
OPTIMAE INDOLIS MAGNAEQVE SPEI
DOMINO
CHRISTIANO
WINCKLERO

LIPSIENSI
NATALEM NONVM DECIMVM
CONGRATVLATVR

ET SIMVL
CONSILIVM

SYNTAGMATIS CONFSSIONVM
ECCLESIAE LVThERANAE
LATINI ET GERMANICI

PROPEDIEM
SI DEVS DEDERIT
EDENDI

VIRIS ERVDITIS
QVA DECET, HVMANITATE
APERIT

M. IOANNES DANIEL KLVGE
WEISSENFELSENSIS, MINIST. CANDID.

HAMBVRGI
TYPIS RVDOLPHI BENEKII.

Biogr. erud.

D.
1600,60

Yott 2. 1600,60 - 1600,60

IVVENI
OPTIMAE INDOCTISSIMAE
D. O. M. I. N. O.
CHRISTIANO
WINEKLEBER
NATALIUM DOMINI PECTUS
COGNOMINE
SYNTAGMATA
SCIENTIARUM
LATINAE
S. P. E. C. I. M. E.
V. G. E. N. E. R. I. S.
VIRI ERUDITI
QUI DOCTI, INVENTATI
M. T. O. M. A. S. I. U. S.
P. A. N. T. H. E. I. M. I. U. S.
P. R. I. N. C. I. P. I. U. M.
P. R. I. N. C. I. P. I. U. M.

TIMOTHEO, ingenti, post Apostolos, priscae ecclesiae or-
 namento, laudi, praeter alia innumera, ducitur, infi-
 gnem, praesente magna testium corona, edidisse confes-
 sionem. (1. Tim. VI, 12.) Qua tempestate tam luculen-
 tum doctrinae christianae praebuerit testimonium, inter-
 pretes parum conueniunt. CHRYSOSTOMVS id prius factum esse
 arbitratur, quam fidem CHRISTO, Seruatori, daret, vbi adulti, sa-
 cro tingendi fonte, rationem diuinae, quam hauserant, disciplinae pa-
 lam reddebant. Quod egregio exemplo confirmat eunuchus Aethiops,
 dignitate non minus, quam pietate illustris, qui, antequam sacris Chri-
 stianorum a Philippo initiaretur, splendidam de IESV, vero Dei filio,
 confessionem recitauit. Neque Petrus de baptismo secus existimasse vi-
 detur, eundem bonae aduersus Deum conscientiae stipulationem appel-
 lando, quam de sincera Numinis confessione accipit Syrus translator.
 Ab sententia Constantinopolitani praesulis equidem non omnino alienus
 est celeberrimus Ienensium Theologus, IOANNES GERHARDVS,
 iis tamen vt potius suffragetur, qui, eo tempore testatam publice do-
 ctrinam suam fecisse Timotheum, contendunt, quum a diuo Paulo in
 societatem Apostolici muneris adscitus, vel, quod aliis placet, in anti-
 stitis Ephesii fastigio collocatus, solenni ritu inauguraretur. Cuiusmodi
 piium institutum non modo in veteri ecclesia frequenter obseruatum fuit,
 verum in vicina etiam Brunsvicensium vrbe, post emendatum ab Lu-
 thero sacrum, ephori cum coadiutoribus, quos vocabant, muneribus suis
 admouendi, confessionem saero senatui exhibere, sapienti maiorum con-
 silio, quondam iubebantur. Ludibrium vero cunctis, quotquot Papa-
 rum, pro eo, ac par est, abominantur, CORNELIVS A LAPIDE
 debet, quando in talium confessorum numero habet monachos et reli-
 giosos, quos vocant, saeculo scilicet voluptatibusque, interposita voti
 religione, nuncium mittentes, vt, recta, quam sanctus codex praescri-
 bit, Deum colendi ratione conculcata, Pontificis Romani mancipia
 euadant nefandaeque superstitionis instrumenta, otioque tantum non
 diffluant et, quanquam simulent Curios, non raro viuant bacchanalia.
 Facestant procul inutilia plerumque isthaec terrae pondera, quorum
 a professione totoque vitae cultu profus abhorruisse Timotheum no-
 strum,

strum, diuinis e paginis tam dilucide apparet, vt ampliori confutationis apparatu non sit opus. Dantur praeterea, qui ad strenuum purioris doctrinae, cum asserendae, tum propugnandae, studium trahant, quod adeo prae se nunquam non tulerit fidus Pauli comes ac sectator, vt, qua publice, qua priuatim, in eo totus versaretur. Et sane vel horulam ingenua in confessione veritatis torpere, non doctoris est, sed proditoris conscelerati; vel transuersum vnguem a recto coelestis sapientiae tramite quaquauiersus deflectere, diuini corruptores verbi, non vindices iuuat; vel verbulo iuratis ecclesiae hostibus, fallacis in spem gratiae, quicquam concedere, mercenarios decet, non solertes gregis diuinitus commissi pastores. Nec defuisse tandem cernas, qui, dira pii coetus persecutione, quam execrabiles Dianae cultores Ephesi concitarant, adductum fuisse Timotheum, credant, vt pulchra confessione constantiam impavidumque animum frequenti audientium turbae probaret. Quo factum, vt postea, qui vinculis, edita constanti confessione, liberabantur, splendidissimum confessoris titulum sustinerent. Isti quidem opinioni praesidium in eo quaerunt, quod Paulus, versu insequente, Christum, coram Pilato vera confessum, Timotheo sistat, eius ad exemplum vt porro se fingat ac formet. Quemadmodum autem singulae, quas recensui, sententiae perquam similes sunt vero, ita magno vtique CALOVIO adstipulandum esse reor, qui omnes defendit et nusquam Timotheum suis defuisse partibus, rectissime arbitratur.

Vestigiis Timothei laudatissimis patres olim nostros instituisse, nemo, nisi ingratus, vel improbus repurgatae a Pontificiis erroribus superstitionibusque doctrinae hostis negarit. Dicit profecto non potest, quanta voluptate ac laetitia meus vndique animus perfundatur, quoties lucis, cui par inde ab aetate Apostolorum ecclesiaeque nascentis vix illuxit, recordor, quam pulcherrima confessio, a nostris maioribus, in amplissima summorum principum concione, augustis in comitiis Augustanis tradita, insignem fecit. Haec quippe confessio, singulari Spiritus sanctissimi beneficio, ex limpidissimis verbi diuini fontibus deriuata et a praepostera Melanchthonis mutatione immunis, fraudes Antichristi Romani detexit; Haec vixdum edita, incredibili celeritate, ad remotissimas orbis terrarum gentes penetrauit; Haec alacriter asserta libertatem
sacrorum

saeculorum per totum, qua patet, imperium Germanicum nobis peperit; Haec aduersus atrocissimos hostium insultus vaferrimasque machinationes stetit immota perpetuosque per duo fere saecula triumphos egit. Permultos quidem, eiurata confessione ista, pristinam in colluuiem errorum Papaeorum fuisse relapsos, aut sectae alii perditae proh dolor semet addixisse, non diffiteor. Symboli tamen huius inuicta veritas propterea tam nobis suspecta non redditur, quam Seruatoris auctoritati defectio- nibus suorum et contumaci procerum Iudaicorum contemptu nihil detractum scimus. Supplicationes igitur decernamus Deo immortalis, quum alterum inde ab exhibita confessione Augustana saeculum labatur, atque inter iubilaeos concentus mirificam Numinis benignitatem celebremus, quae tantum nobis beneficium, omni mortalium laude superius, in extrema mundi senectute indulgit. Veneremur sanctos confes- sores nostros, qui, veram vt nobis per manus traderent doctrinam, ne capitis quidem periculum adire dubitarunt. Quorum vt eo commenda- tor nobis foret memoria, dudum exoptavi, eam confessionem, cui emendatum debemus sacrum, cum reliquis Symbolis, manu diligentio- re non tantum a quolibet versari, sed omnes etiam confessiones, quas modo cunque vel Papatus, vel Cingliana cohors, vel alii nostratis ec- clesiae turbatores diuo Luthero ceterisque instauratae religionis, ex omni ordine, propugnatoribus, extorserunt, vno fasce comprehensas euulgari. Inflammatum eo magis est desiderium, quum idem alicubi cupisse modis omnibus beatum Chemnitium et celeberrimos relationum innocentium scriptores, animaduertentem. Vt taceam illorum, qui Reformati au- dire volunt, Syntagma Confessionum, iterum iterumque recusum, cui quo iure, quae iniuria, nonnullas nostratium confessiones inseruerint, exponere, angustia chartae prohibeor. Repetenda sunt nostra, neque committendum amplius, vt patrum decus in alienos vertatur, vel tam eximia fidei et constantiae auitae monumenta, situ et squalore obducta, cum blattis et tineis decertent. Postquam vero irrita esse virorum do- ctissimorum vota sensi, mentem ad persequendum hoc institutum adii- cere, mea non indignum persona fore, iudicaui. Tantum quoque ab- fuit, vt principes quidam Theologi, quorum beneuolentia in iuuandis et amplificandis studiis meis prorsus singularis extitit, ab eodem me re-

uocarent, ut identidem illius perficiendi essent grauiissimi auctores. Quod itaque Numen optimum bene vertat, *Syntagma Confessionum Ecclesiae Lutheranae Latinum atque Germanicum* luci publicae in memoriam anni saecularis proximi sistam, in quo adornando ita me sum tractaturus, ut textus utraque lingua e primis omnium, quae haberi possunt, exemplis quam emendatissime describatur, alterutro autem sermone si qua confessio non fuerit tradita, me qualicumque interprete, bona fide, ad verbum exprimat. Quando praeterea confessiones quasdam vetere Saxonica dialecto primum exaratas memini, ut auctores sua ipsorum lingua loquentes simul audiamus, atque ita fides utrique versioni fiat, efficiam, eandem rationem confessionum ab exteris profectorum habiturus. Perbreuis cuique libello praefigetur historia, quae ipsius originem, auctoritatem et vindicias enarret. Insignem vero, qui ad scientiam Theologicam hinc redundare potest, usum indices copiosi declarabunt. Ne quid tamen in hoc syntagmate forsitan desideretur, elenchum confessionum, quae hucdum innotuerunt mihi, cum viris eruditis breui communicabo, vehementer etiam atque etiam eosdem obtestatus, quicquid ad perficiendam, vel ornandam hanc opellam pertinere visum fuerit, ut in medium beneuole consulant ac, libere monentibus me obtemperaturum opemque latam grato publice profecuturum esse animo, confidant. Deus autem sanctissimus, ad quem omne laborum meorum decus delegatum volo, tantum operis aggresso benigne annuat, coepta fortunet, ecclesiaeque afflictae salutaria esse iubeat, Timotheosque Spiritu plenos et bello sacro strenuos porro largiatur, qui, laudabili maiorum exemplo, puram doctrinam constanter asserant, fortiter ab aduersariorum furoribus defendant vitamque sibi citius, quam veritatis confessionem, eripi sinant.

In horum numero quum TE, *WINCKLERE* praestantissime, aliquando futurum esse, animo praecipiam, non possum non impense laetari, atque in felicitatibus meis ponere, quod tantae expectationis iuueni, diuinam bonitatem, comes studiorum datus fuerim. Laudabunt alii erectam mentem, modestiam, humanitatem, mores commodos, consuetudinis suauitatem, et quaecumque in liberali homine com-

commendari solent. Mihi maxime probatur seuerum pietatis studium et constantissima voluntas, qua in litteras diuiniore hauriendas, inde a teneris vnguiculis, raro nostri saeculi exemplo, ferris, vt ea propter ad colendam Theologiam natum factumque salutare, atque cum Timotheo TE contendere ausim. Imbuerant illum mater atque auia primis christianae sapientiae rudimentis. Eadem ex beata parente Tua et auia, matronis omni virtutum laude conspicuis, TE didicisse, merito gloriaris. Imo habes, quo TE Timotheo anteponas, quum Patre vtaris, non a recta religione alieno, sed pio, indulgente, liberali, verae doctrinae inprimis cupido, et de publica re patria insigniter merente. In-nutritus sacris litteris a puero Timotheus fertur. TV diurna nocturna-que manu codicem sanctissimum versas, neque in riuulis modo versio-num subsistis, verum ex ipsis quoque fontibus rerum diuinarum noti-tiam colligere iuuat. Accedit sedula Symbolorum nostrorum lectio, se-mel iterumque et amplius repetita, qua et de purissima doctrinae no-straе integritate conuinceris, et ad quaelibet pro tuendis confessionibus istis audenda sensim praepararis. Sic TE gerendo, spem omnibus facis amplissimam, fore, vt traditum a maioribus diuinae veritatis depositum olim, ad instar Timothei, custodias, et, quod carmine sacro Deum quoti-die precaris, mentem illibatam et ab erroribus opinionibusque nouis, quarum praesens saeculum est feracissimum, immunem serues. Tot prae-terea in TE gratiae suae, animi et fortunae bona Deus contulit, vt pro-fecto, quid indulgendo valeret, videatur expertus. Doctores in flo-rentissimo Gymnasio nostro audis exquisitissimos, fide pariter ac eru-ditione vndiquaque celebres, qui TE in oculis ferunt, atque omnibus doctrinis, queis aetas Tua impertiri debet, crudire, pertinaci contentio-ne annuntur. Vfus TIBI magnus est cum viris summis, quorum maxima et immortalia in litteras ecclesiamque merita tanto iustius aesti-mas, tanto sanctius suspicis ac reuereris, quanto grauiore illorum odio TE adhuc peradolescensulum nonnemo Tuorum magistrorum, caeca fucatae pietatis libidine captus, armare, nequicquam laborauit. Adeo nihil cogitari potest, quod studiorum campum TIBI vel asperum et sa-lebrosum, vel plane inuium reddat, ni TIBI met Ipse defueris. Age nunc, o *DELICIVM meum*, admirabilem cumulatorum in TE be-neficiorum

beneficiorum

neficiorum diuinorum magnitudinem toto pectore cogita, immortalis
memoria retine, et, quantum Deo, genitori, genti, ecclesiae, patriae
ac orbi erudito debeas, TEcum considera. Quae res, diligenti et assi-
dua contemplatione dignissima, quum hodierno praesertim die, quo an-
num aetatis octauum decimum explas, mentem Tuam in se conuertat,
vt, quod vltro es facturus, prolixè TIBI persuadeam, non est. Gratulor
potius TIBI de felici natalitiorum reditu gratiisque Deo persoluendis
gratias, preces precibus, votis vota pia iungo, atque, vt saluus ac so-
lipes omni genere prosperitatum, quae homines et christianos queunt con-
sequi, quam diutissime floreas, et venerando Patre (quem ad supremam
senectutem vitam publice priuatimque beatam producere cupio) dignum
TE praestes maximamque spem de TE conceptam non solum aliquan-
do sustineas, sed et multum superes, clementissimum Numen supplex
inploro. Pergas quaeso, quo coepisti, probitatis ac solertiae tramite,
atque omnia Tua studia, omnem operam, industriam, cogitationem,
mentem denique omnem in eo figas, vt vita doctrinaque referas Timothe-
um, ingenuum veritatis diuinæ confessorum. Intuere in *GEIERVM* et
CARPZOVIOS, cum diuos, tum superstitem, Lipsiae Tuae Chry-
sostomum, magnum rei sacrae et litteratae incrementum, Praeceptorem
et Patronum nostrum reuerentissime colendum, (quem Deus seruet!)
intuere in gloriosum IESV CHRISTI martyrem, *ROESNERVM*,
immortale Thoruniensium decus, quos (at quantos viros) propinqua
cognitione attingis, eorumque sanctimoniam, eruditionem, copiam di-
cendi, grauitatem et constantiam vt adaeques, gloriamque auitam ad po-
steros auctè transmittas, omnibus viribus contende. Ceterum de me
ita velim semper habeas, nulli me defuturum occasione, nullos defugi-
turum labores et curas, quo meum in TE affectum et Tuis inseruiendi
commodis ardorem re ipsa experiaris. Vale, *suauißimum caput*, et TVI
amantem ama. Dab. Hamburgi, d. VI. Calend. Martias A. R. N.
MDCXXVIII.

